DE GRAVIDITATIS DIAGNOSI SAEPE DUBIA.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICO-OBSTETRICIA,
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA UNIVERSITATE LITERARIA BEROLINENSI,
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR,

DIE VIII. M. APRILIS A. MDCCCXXVI.
H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENSURUS EST
AUCTOR
ADOLPHUS MUEHLMANN,
ZUELLICHAVIENSIS.

OPPONENTIBUS:
GUILH. LICHTENAUER, UTR. MED. CAND.
GUILH. SCHULTZEN, UTR. MED. CAND.
F. KOEHLER, UTR. MED. CAND.

BEROLINI,
LITERIS AUGUSTI PETSCHII.

Χρὴ πάντα θεάσασθαι τὰ σημεῖα, καὶ μὴ πιστεύειν ἑνί.

GALENUS.

VIRO

ILLUSTRISSIMO, GENEROSISSIMO, EXPERIENTISSIMO

E. DE SIEBOLD,

PHILOSOPH. MED. CHIR. ARTISQUE OBSTETRIC. DOCTORI, IN UNIVERSITATE LITERARIA BEROLINENSI. MED. ET ART. OBSTETRIC. PROFESSORI PUBL. ORDIN., INSTITUTI REGII OBSTETRICII CLINICI DIRECTORI, REGI BORUSSORUM A CONSILIIS MEDICIS INTIMIS, ORDINIS REG. AQUILAE RUBRAE, ORDINIS HANNOV. GUELPHOR. EQUITI, REG. COLLEGII MEDICO-TECHN. PRIMAR. MEMBRO, ACAD. REG. NATUR. CURIOS., SOCIETAT. MEDIC. AEMULANT. PARIS. PHYSIC. ET AMICOR. ART. OBSTETR. GÖTTING., JENENS., HANNOV., SCIENTIAR. PHYSIC. ET MEDIC. AD RHENUM INFERIOR., NATUR. CURIOS. SENKENBERG. ETC. SODALI,

PRAECEPTORI

SUMMA PIETATE COLENDO

NEC NON

C. L. MUEHLMANN,

PATRI OPTIMO, DILECTISSIMO

AD OBITUM USQUE VENERANDO

HASCE

STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS

SUMMAE PIETATIS

GRATISSIMIQUE ANIMI SIGNUM

D. D. D.

AUCTOR.

LECTORI BENEVOLO S!

Graviditatis dubiae casus, Benevole lector, haud raro nobis occurrunt, et totidem non facile sunt dijudicandi. Jure mirari potes, cur ego potissimum de re tam gravi scripserim, qui neque ingenio, neque rerum huc pertinentium scientia cum multis, qui taceant, sim comparandus. „In magnis voluisse sat," hoc fretus proverbio, et Viri illustrissimi, cujus nomen generosissimum in fronte hujus libelli legitur, adhortatione commotus mihi proposui hancce quaestionem; nonnulla nondum descripta Tibi proponam, quae humanissime *de Siebold,* nosocomii Lucinae sacri director clarissimus mihi suppeditavit contemplanda, et quae alios de hac re libros volvens inveni; nam tironis experientia, quomodo talis et tanta esse potest, ut aliorum virorum doctorum auctoritate spreta, e proprio ingenio nova et egregia proferre possit? Scribendi est mos — non proferendi experta, propterea ut indulgenter prolata

censeas, humanissime peto. Procul hinc abjeci omnes de generationis theoriis disputationes, nam si doctissimorum virorum acuminibus de hisce fere nihil liquet, nemo unquam a tirone veritatem audiendi cupidus erit. Tantummodo de signis conceptionis et graviditatis verba faciam, nam scire num foemina gravida sit, nec ne? res certissime est maximi momenti. Haec doctrina, sicuti neminem fugiet, valde ambigua, eo majore animi attentione digna est, quia experientia nos docuit, a viris quoque in hac arte peritissimis errari posse *).

Interest medici scire num foemina gravida sit, quia hoc in casu cautior erit in exhibendis medicaminibus, interest parentum, ut et de filiae castitate non dubitent, et si aegrotat aptis remediis adhibitis sanitati reddatur, porro judicis maxime refert scire, statum foeminae capitis damnatae graviditatem forsan simulantis, et denique uxorum quoque honestarum ut et vivendi, et se gerendi rationem justo tempore mutare possint.

---

*) Zimmermann, von der Erfahrung in der Arzneikunst. 1. Th. Zürch, 1763. 3. Band. Cap. 4. S. 282. — Stark, Archiv für die Geburtshülfe. 1. Bd. Stück 1. N. 1. — Pyl, Repertorium für die gerichtliche und öffentliche Arzneikunde. Bd. 1. Abschn. 2. N. 2.

PARS I.

DE CONCEPTIONE.

§. 1.

In pertractanda re primum ea signa proferam ex quibus vulgo foeminam concepisse creditur, dein signa ea, quae saepissime graviditatem comitari solent, et denique casus nonnullos, graviditatis sic dictae dubiae quos ipse observavi enarrabo.

Conceptionis, hujus coïtus foecundi fructus, signa multa nominantur quidem, attamen quod dolendum! vix unum certum haberi potest. Experientia — haec medicorum dux praestantissima — plures casus memoratu dignissimos nobis tradidit, ubi foeminae, quae jam saepius conceperunt, diem et conceptionis et partus futuri nobis fere indicare potuerunt [1]), sunt autem hae — aves rarissimae.

§. 2.

Primum conceptionis factae signum, vulgo habetur peculiaris quidam voluptatis sensus in utroque sexu ad extasin accedens, quae in foeminis major esse solet, atque genitalibus turgescentibus debetur uterique cum partibus annexis rigori, quin animo linqui quaedam foeminae solent [2]). Hoc signum interdum quidem aliquid valere potest, attamen neutiquam semper et multum. Accuratius hanc rem

---

1) *Van Swieten* hoc quoque testatur. Vid. commentar. in Boerh. aphorism. edit. Hildburgh. T. IV. Pag. 450.

2) *J. G. Roedereri* elementa artis obstetriciae *H. A. Wrisbergio* editore Göttingae 1766. cap. VII. p. 63. §. 136.

contemplanti multae foeminae obviam venient, quae voluptate ex coïtu foecundo capta plane nulla, nihilo secius gravidae factae sunt, immo aliae, quae extasi correptae, gravidae non evaserunt. Idem in iis puellis observari potest, quae vi ad coïtum conductae certissime sine oestro venereo conceperunt, aliae contra, si quoque contra voluntatem ad coïtum exercendum coguntur, summa voluptate gaudent, neque gravidae fiunt. F. B. Osiander [1]) (vir quem Georgia Augusta diu adhuc deplorabit) plures observationes huc pertinentes nobis tradidit, quarum sequentem hic non praeteriverim. Virgo XV circiter annos nata ab effrenatis militibus vi ad coïtum ducta est, et eodem coïtu non solum genitalia ejus valde dilacerata, lueque venerea infecta sunt, sed concepit quoque, oestro venereo hic certe absente. Eximia clitoridis magnitudo, sensibilitasque genitalium nimia saepius causa extaseos illius esse possunt peculiaris, Berolini plures puellas explorandas inveni, quae vix explorationem obstetriciam perferre potuerunt.

Loderus [2]) huic signo magnam tribuit fidem.

§. 3.

Secundum conceptionis signum habetur utriusque sexus seminis ejaculatio uno eodemque temporis momento [3]). Multum hic disputari posset de semine foemineo, quid sit, unde veniat? attamen de hisce plane sileo. Id constat: quacunque occasione genitalia irritante data aliquid effluere, prae-

---

[1]) F. B. Osiander, Handbuch der Entbindungskunst. Th. 1. S. 286. §. 402.

[2]) Loder, Anfangsgründe der Anthropologie. Weimar 1800. 8. S. 481. §. 321.

[3]) *Roederer*, libr. citat. pag. 64. §. 137.

cipue in foeminis puellisque magna sensibilitate gaudentibus, nam saepius in explorandis foeminis, quum vix vaginam iniissem, et vaginalem quaererem portionem, statim mihi offluit serum, num autem illud ad conceptionem necessarium sit nec ne? non liquet. Attamen illud effluens non maximi momenti esse potest, nam raro conjuges uno eodemque irritabilitatis et sensibilitatis utuntur gradu in coïtu ineundo. Quam diversa conjugum temperamenta videmus! Ad graviditatem provocandam magni momenti habeo, si vir simul cum uxore summam voluptatem sentit, et si natura conjuges hac conditione carent, arte efficiant necesse est. Existunt conjuges qui per X — XX annos frustra coïtum exercuerunt et liberos non procrearunt, subito autem nunc foemina gravida fit — unde hoc phaenomenon declarandum, nisi ex irritabilitate sensibilitateque amborum nunc adaequatis? Si foemina nimis sensibilis est, maritus non — exerceant coïtum si catamenia jam diu praeteriverunt, si uxor temperamento (sit venia verbo) magis phlegmatico gaudet, utantur tempore statim post menstruorum fluxum, et eo magis bonum eventum sperare poterunt.

§. 4.

Multum fidei prioribus temporibus huic tertio signo „siccitas viri, quae seminis in utero moram prodit" [1]) tribuebatur, et hodie adhuc plus minusve tribuitur. Nondum scimus quantum seminis requiratur ad foeminam impraegnandam, et inter omnes constat, seminis si non maximam, tamen magnam

---

[1]) *Roederer*, libr. cit. pag. 64. §. 137. — *Aristoteles*, in histor. animal. Libr. VII. cap. III. ubi sequentia leguntur: „si semen in septimum diem intus permanserit, conceptum jam esse certum est".

e vagina refluere partem. Adsunt exempla conceptionis partim cum multo semine injecto, partim cum fere nullo; et contenderunt alii sine ullo quoque viri cum foemina commercio graviditatem exoriri posse, alii saltem imperfectam, si foemina summa coëundi cupiditate flagrans huic satisfacere non posset. Ne unum quidem hujus rei testimonium certum proferri potest, narrationes huc pertinentes ab auctoribus partim joci causa [1]), partim quia se ipsos fefellerunt prolatae sunt. Hisce adnumeranda est observatio quam profert Baillie, qui in puellae XII — XIII annorum hymene integro ornatae ovario invenit crines, adipem et IV dentes, quas omnes res oestro tantummodo venereo exortas censet. Nonne puella illa coïtum i. e. imperfectum exercuisse potest? In urbibus multae hujus aetatis puellae harum rerum jam peritissimae sunt, coïtu igitur imperfecto imperfecte concepit. Medico obstetricio bene occupato, certe plura nota erunt exempla foeminarum, hymene illaeso exornatarum, nihiloque minus impraegnatarum [2]).

§. 5.

In Riolani anthropog. Lib. II. cap. XXXV. sequentia leguntur, sententiae prolatae bene respondentia: „Quamvis nulla fiat generatio sine penis immissione, et Galeni judicio, multorumque medi-

---

[1]) Lucina sine concubitu. Lettre adressée à la Societé royale des Londres: dans laquelle on prouve par une évidance incontestable tirée de la raison et de la prâtique, qu'une femme peut conçevoir, sans avoir de commerce avec un homme. à Londres 1750.

[2]) Osiander, Denkwürdigkeiten für die Heilkunde. 2. Bd. Stück 1. S. 15. — *J. G. Tolberg*, de varietate hymenum etc. Halae 1791.

corum consensu, tamen Parisiis mulier, quae ex laborioso et difficili partu laceratas habuerit partes genitales, cujus nymphae et IV carunculae tam arcte coaluerint, ut vix specilli cuspidem foramen admitteret, nihilominus concepit. Intra pudendi labra effusum semen uterus hujus pabuli avidissimus attraxit, quemadmodum e profundis cuniculis cervus serpentes narium inspiratu allicit. Quum instaret partus, introducto speculo matricis foramen dilatatum fuit in eam amplitudinem, quae ad foetus egressum necessaria erat. Sicque foetum perfectum emisit mulier incolumis et superstes." Formey [1]) in libello de dignitate pulsus narrat observationem, ubi puella nobili genere nata, pene non immisso, semine tantummodo ad genitalia externa adjecto, gravida evenit, et justo tempore praeterlapso puerum edidit.

Berolini, in nosocomio Lucinae sacro, de Sieboldii praeceptoris generosissimi auctoritate, puellam a foetu liberavi, quae integro adhuc gavisa erat et quidem annulari sic dicto hymene. Haec puella, nanis adnumeranda, lordosi et cachexia hydropica laborans mihi narravit, se sartori parvo et imbecillo bis tantummodo coïtum concessisse.

Quantum fidei huic signo in universum tribuendum sit, vix certe dijudicari potest, priusquam de generatione melius eruditi sumus.

§. 6.

Phaenomena sequentia porro conceptioni factae tribuuntur ab auctoribus [2]). Horror, totius fere corporis tremor, dolores quasi colici, motus et calor

---

[1]) Formey, Würdigung des Pulses. Berlin 1825.

[2]) *Roederer* l. c. §. 138. p. *64*. — *F. B. Osiander*, libr. citat. §. *482*.

vagus in infimo ventre, genitalia sicciora et calidiora, convulsiones, animi deliquia, somni cupiditas artuumque egregia lassitudo [1]), faciei coloris mutatio ita ut et pallor ruborque oris invicem sibi succedant, et haec gena rubescat, dum altera palleat.

Interdum uxores quae conceperunt, mariti quem quam maxime amant, nausea eximia impletae sunt, et tantum una cum graviditate haec nausea finitur. Quae nausea, sicuti videtur idiosyncrasia quadam coïtu exorta nitens, tanta esse potest, ut foeminae ne animam quidem et transspirationem tolerare possint. Lassitudinem antea a me prolatam Wrisberg [2]) bonum conceptionis signum censet, scripsit ibi: insolita artuum lassitudo bonum signum est in foeminis quae conceperunt, designat enim excretionem spermatis foeminei factam esse, prouti similis lassitudo in viris post similem excretionem observatur." Jam supra de semine foemineo sermo erat, attamen hucusque nemo scit, num effluens illud (§. 3.) revera sit semen et unde veniat; porro observantur foeminae post foecundum coïtum nullo modo lassitudine correptae. Nonne lassitudo illa facillime aliis ex causis derivari potest?

Certi aliquid — omnia haec signa fere nihil nobis suppeditare possunt, nota autem esse debent medico obstetricio. Caeterum haec res non magni

---

[1]) Hisce *Müllerus* aliud addit. signum. Vid. medizinisch-praktisches Handbuch der Frauenzimmerkrankheiten, 2. Theil, §. 16. ubi sequentia leguntur verba: ein gewisser Trieb die Beine kreuzweise über einander zu schlagen, gleichsam als ob sich die Natur dieses Mittels bediene, die Gebärmutter zu verschließen.

[2]) Vid. *Roedereri* elementa artis obstetriciae edit. *Wrisberg.* pag. 65. nota LIX.

est momenti, eo majoris autem est vera graviditatis quam nunc recensere volumus diagnosis.

PARS II.

§. 7.

Graviditas, κύησις ea est conditio organismi foeminei, si alius organismus in illo generatur, per certum temporis spatium ibi efformatur et nutritur, abdomenque exinde magis magisque extenditur.

Distinguendum est inter graviditatem veram s. normalem s. uterinam et anomalam. Veram s. uterinam graviditatem eam nominamus, si foetus intra uterum inclusus crescit, anomalam, si in aliis corporis partibus verbi gratia in ovariis, tubis Fallopianis, in cavitate sic dicta abdominis, in pelvi, vagina [1]) et vesica urinaria [2]) nutritur.

Si unum tantummodo foetum uterus continet graviditatem simplicem, si plures in eo inveniuntur multiplicem habemus graviditatem. Graviditas spuria ea est conditio, ubi non foetum uterus continet, sed alias res morbo effectas: polypum, molam, aquam etc. Mixta ea nominatur graviditas si una cum foetu mola vel polypus in utero locum tenent.

Dico hic de graviditate simplici uterina. Modo prius modo serius hic permulta observantur phae-

---

[1]) J. Gerson, Beobachtung bei einer Frau, die eine Frucht in ihrer Mutterscheide 3 Jahr und einige Monate lang getragen, welche durch den Hintern entbunden wurde. Hamburg 1784.

[2]) Josephi, über die Schwangerschaft außerhalb der Gebärmutter, und über eine höchst merkwürdige Harnblasen-Schwangerschaft insbesondere. Rostock 1803.

nomena, quibus tantummodo cum grano salis uti possumus; multa enim horum symptomatum morbos comitari solent, alia commodi cujusdam causa simulare possunt foeminae, quibus et ne mortuis quidem sicuti suadet Stollius[1]) nihil unquam credendum est.

Aggrediamur igitur rem ipsam, caveamus autem ne fallamur! —

§. 8.

Omnia graviditatis signa vulgo ab auctoribus in signa incerta s. fallacia, et in signa certa dividuntur. Vix autem unum certum nominari potest, tantummodo signorum collectio aliquid valet.

§. 9.

Ex irritatione nervorum praecipue sequentia phaenomena observanda nobis occurrunt: horror, frigor, anxietas, moeror, calor saepe adauctus, saepe imminutus, mox pallent foeminae, mox rubescunt, dentium dolores, animi deliquia, tremor artuum, vertigo, cogitandi et sentiendi ratio mutata, mox gaudio, mox tristitia mania et melancholia afficiuntur. Propensitas ad lacrymandum praecipue observatur iu foeminis robustis, succulentis; hisce medicus succurrere debet ne mania correptae morte se ipsas afficiant, sicuti exempla maxime dolenda jam docuerunt. Aliae propinquitatem viri antea amati vix tolerare possunt, aliae nymphomania laborant, et quidem eae praecipue hocce morbo corripiuntur, quae ante nuptias castissime vixerunt, propter nimiam et insuetam genitalium irritationem.

Diversissime autem foeminae utero gestantes hisce affectionibus morbosis corripiuntur, aliae statim, ubi

[1]) In medendi ratione.

ubi conceperunt, et eo a termino, quo de graviditate certiores sunt; permulta et quidem injucundissima tolerare debent, aliae a conceptionis termino sanitati redduntur, et graviditate durante fere nihil accusant. Hystericae quae omnibus, hisce affectionibus subjectae sunt, et non raro graviditatis plane expertes, eodem modo illa symptomata prae se ferunt.

Foeminae contra in rure degentes, quae per totam fere graviditatem non secus ac alio tempore, a sole oriente usque ad ejus occasum diligenter laborant optime se habent, et rarissime tantum invaduntur a symptomatibus antea relatis [1]).

§. 10.

Systema sanguiferum sicuti illud nervorum quam maxime quoque graviditate afficitur, quae affectio, praecipue a menstruorum fluxu suppresso redundans, ineunte graviditate propterea eo major observatur. Graviditate durante sanguinis illa excretio tollitur, in cavo uteri post coïtum foecundum lympha coagulabili vasa obteguntur, talimodo sanguis coërcetur, et si per graviditatis tempus menstruatio hic vel illic observatur, tantummodo e collo uteri progreditur sanguis [2]).

Plethora, hacce menstruorum retentione exoriens, praecipue congestionibus in caput, partesque organismi superiores se prodit; facies turgore majore

---

[1]) *E. de Siebold* (praeceptor carissimus), dissert. sistens graviditatis diagnosin saepe esse dubiam. Wirceburg MDCCXCVIII. pag. 17. §. XVI. vide notam huic paragrapho adjectam.

[2]) *J. F. Osiander* (praeceptor, quem grata mente semper colam), dissertatio de fluxu menstruo atque uteri prolapsu, c. tab. aen. Goettingae 1808. 4. — *Roederer*, libr. cit. pag. 67. §. 146. L.

ruboreque exornata est, saepe vehementissimis nullo remedio fugandis [1]) vexantur gravidae dentium doloribus, naevi materni, maculae, pustulae et in facie et aliis corporis in locis apparent, vel, si jam adsunt, amplificantur, praecipue in gravidis capillis flavis et fuscis instructis, pruritus narium sanguinisque ex iis stillicidium, colli glandulaeque thyreoïdeae intumescentia. Hacce intumescentia eae praecipue foeminae ingrediuntur, quae haereditaria strumae dispositione laborant.

In regionibus enim, ubi struma morbus est endemicus, saepe infantes cum hacce dispositione nascuntur, saepe colli intumescentia plane evanescit, attamen redit cum sic dictis periodis evolutionis, verbi gratia cum catameniorum fluxu primo, graviditate, quae, praesertim si graviditates plures cito se subsequuntur, haud raro veram strumam provocant. Haec colli intumescentia incertis tantum graviditatis signis adnumeranda est, nam puellae imo castissimae, amenorrhoea, aliisque hujus functionis vitiis laborantes saepe hocce morbo afficiuntur, et antiquissimis temporibus colli intumescentiam tantummodo deflorationis [2]) signum habuerunt.

§. 11.

Attamen non solum versus caput collumque, sed etiam versus pulmones, mammas, partesque corporis inferiores observantur congestiones.

Laborant gravidae anxietate, oppressione pecto-

---

[1]) Cavendum est medicis, ne extrahant tali conditione dentes doloriferos, nam post hancce operationem jam abortum foetusque mortem vidi.

[2]) Catullus cecinit:

Non illam genitrix oriente luce revisens,
Hesterno collum poterit circumdare filo.

ris, respiratione difficili, tussi, haemoptysi [1]) etc. Intumescunt mammae, doloribus in iis pungentibus gravidae haud raro quam maxime excruciantur, praecipue si usque ad conceptionis terminum mammae nondum efformatae erant. Porro videmus venas in mammis coeruleas, praecipue in puellis capillis flavis fuscisque exornatis, quae graviditatis suspicionem movent. Papilla amplificatur, vix videnda ante primam graviditatem nunc cono similis prominet, color non solum papillae, sed etiam areae mutatur [2]).

Papilla amplificata et elevata etiam in puellis nondum gravidis observari licet, nam non fugiunt nos exempla virginum, quae ad infantes demulcendos mammas iis praebuerunt, dein sero lacti simile impletas; et puellarum, quae voluptatis causa hoc amatis concessere, cujus rei Hildenbrand [3]) exemplum nobis tradidit puellae miserrimae.

Non solum in puellis lactis secretio observata est, sed etiam in foeminis aetate provectioribus [4]), et hacce occasione data historiam viri cujusdam

---

[1]) *E. de Siebold*, in dissertatione laud. pag. 16. §. XVI., obtulit observationes memoratu dignas.

[2]) F. B. Osiander, Resultate von Beobachtungen an den Brüsten während der Schwangerschaft. In den Denkwürdigkeiten für die Heilkunde und Geburtshülfe. 1795. 2. Bd. St. 2. Ejusd. Handbuch der Entbindungskunst, Th. I. S. 403., ubi sequentia leguntur: Zuvor rosenrothe Höfe und Warzen schwarzhaariger und gelbblonder Frauenzimmer bekommen eine blasse, schmutzig rothe Farbe, und gelblichrothe Höfe von schwarz- und braunhaarigen Frauen verwandeln sich in völlig braune, oder schmutzig gelbgraue.

[3]) Vid. Hufeland's Journal, Bd. 8. St. 4. S. 11.

[4]) *von Richter*, Synopsis praxis medico-obstetriciae. Mosc. 1810. Pag. 119. — Hufeland's Journ., Bd. 3. S. 243.

non praetereundam censui, qui, uxöre mortua, lacte suo filiolum nutrivit [1]).

Se- et excretio humoris serosi lactisque e mammis, in iis praecipue foeminis multum valent, quae ad graviditatem usque semper bene se habuerunt, neque amenorrhoea aliisque hujus functionis aberrationibus laboravere; praeterea autem hysteria, suppressione mensium, uteri polypo aliisque hujus generis morbis correptae, saepius mammis lacte serove impletis gaudent [2]).

§. 12.

Ad symptomata e congestionibus versus partes inferiores proficiscentia, praecipue referendae sunt haemorrhoïdes et varices. Haemorrhoïdes partim fluentes, partim si antea fluentes erant, coecae per graviditatem redduntur. Varices in extremitatibus inferioribus praecipue in gravidis capillis flavis cuteque tenue praeditis apparent, aliae mirum in modum varicibus tectae, aliae harum plane expertes sunt. Hoc signum non multum valet, nam ex aliis quoque causis varices exoriri possunt, et multae foeminae graviditate jam diu praeterita varices adhuc habent.

§. 13.

Knebel [3]) de crusta inflammatoria, quae saepe

---

[1]) Geschichte Thorgils vom Prof. Thorlacius aus der Floamanna-Saga. Kopenhagen 1808 — 11.

[2]) *De la Motte* (Guillaume Marquest), Traité complet des accouchements naturels, non naturels et contre nature. Lib. I. P. 54. observat. XXXV. à Leiden 1729. — *Schurig*, Parthenologia historico-medica, P. 183. §. 35. Dresdae et Lipsiae 1729.

[3]) Dr. J. G. Knebel, Grundriß zu einer Zeichenlehre der gesammten Entbindungswissenschaft ꝛc. Breslau, Hirschberg, Lissa. 1798. §. 432. S. 378.

in sanguine e venis gravidarum dimisso invenitur, loquitur. Sperat fore, ut tali modo venaesectione invenire possimns num foemina gravida sit, nec ne?

Gravidae sanguinis congestione saepius quam aliae laborant, eo facilius igitur affectionibus pneumonicis corripi possunt, tali modo huic signo non multum tribuendum videtur; e contrario autem graviditatis tempore sanguis egregia productivitate (ut ita dicam) gaudet, et propterea lympha coagulabili abundabit. Tota igitur res accuratius adhuc perscrutanda manet.

§. 14.

Quod pertinet ad fluxum menstruum graviditatis tempore cessantem, jam supra dixi, unde veniat haecce cessatio, adjiciendum hoc loco adhuc censeo, sanguine illo ad foetum nutriendum quoque aliqua saltem ex parte opus esse. Signum graviditatis maximi momenti haecce cessatio habetur non solum a medicis, sed etiam a foeminis et ab hominibus rerum medicarum plane expertibus. Attamen quam cautissime hocce signo uti debemus. Primum enim non raro videmus foeminas, quae, licet sint gravidae, nihilominus menstruatione gaudentes, porro alias, quibus aliis ex causis menses suppressi sunt, denique interdum nobis occurrunt foeminae, quae ante graviditatem nunquam [1]) tali modo purgatae sunt, ubi autem gravidae redditae sunt, menses apparuere. Major gestationis suspicio fit si menstrua cessant absque subsequente morbo graviore.

---

[1]) Albers in Loder's Journal für die Chirurgie und Geburtshülfe ꝛc. Jena 1797. Bd. 1. St. 2. S. 255. — *Sommer*, diss. de conceptione sine menstruis biga casuum confirmata. Jenae 1786.

Si morbo menstruatio supprimitur foeminae multo gravius corripiuntur, quam si amenorrhoeae causa in graviditate quaerenda est. Illo in casu fere semper eo tempore, quo menses antea fluere solebant, graviter affectae erunt, saepius invenimus apud hujuscemodi aegrotas: cephalgiam, vertiginem, calorem fugacem, oculorum ruborem et intumescentiam, aurium tinnitum et susurrum, respirationem anxiam, cordis palpitationem, lumborum dolores, pedum oedema, uterum infarctibus extensum etc.

Tumor praecipue eo tempore, quo antea foemina menstruata erat, usque umbilicum inter et praecordia increscit, tamen duritie sic dicta lapidea caret, calor vaginae non observatur adauctus [1]. Si uterus mensibus retentis extenditur, symptomata alio utuntur decursu ac in graviditate. Hocce casu dato in dies magis magisque minuuntur, faciei color non albidus pallidusque redditur, abdomen paulatim extenditur, mammae intumescunt, neque dein collabuntur.

Multum fidei Schmitt [2] deficienti menstruationi tribuit.

§. 15.

Progredior nunc ad functiones systematis digestionis graviditate laesas. Ventriculus partim irritabilitate et sensibilitate adauctis, partim iisdem minutis mira nobis suppeditat symptomata, nec non cupido rerum ad digestionem plane ineptarum, qua multas gravidas videmus laborantes. Plurima horum symptomatum derivanda sunt a sympathia egre-

---

1) *G. A. Koehler*, diss. de diagnosi morborum graviditatem uterinam simulantium. Berolini 1822. Pag. 11.

2) Sammlung zweifelhafter Schwangerschaftsfälle, von W. J. Schmitt. Wien 1808.

gia, qua fere cum omnibus organismi systematibus gaudet ventriculus, alia e causis mechanicis, si utero adscendente comprimitur ventriculus, haec multo serius quam illa apparere per se intelligitur. Praecipue observamus nauseam, vomitum, singultum, appetitum ciborum fere nullum vel depravatum, immodicum vel irregularem, picam, salivationem molestam, malaciam, cardialgiam, obstructionem alvinam, diarrhoeam etc.

E. de Siebold [1], praeceptor quam maxime spectabilis, picam rarissimam observavit, et loco citato latius de illa disseruit.

Quibus signis, licet plerumque ad graviditatis probabiliora numerantur, tamen cum grano salis utendum est. Inflationem ventris, quam dicunt gravidae, haud raro observamus, quae saepe tantum assequitur gradum, ut ne levissima quidem corporis vestimenta perferre possint. Quae ventriculi sensibilitas aucta, minuta irritabilitate saepe concomitata est, et propterea res est medico gravissima. Remediis emeticis ne fortissimis quidem hic vix aliquid effici poterit, status morbosus, e ventriculi plethora redundans, facilius venaesectione in brachio instituta sanabitur.

§. 16.

Nausea et vomitus signis tritissimis adnumerantur. Saepissime ex digestione per coïtum turbata originem ducunt, ne cibis antea jucundissimis quidem foeminae uti volunt, et praecipue eos fugiunt, quos ante impraegnationem omnibus antetulerunt [2].

---

[1]) Zweite Nachricht von den Verhandlungen der Gesellschaft von Freunden der Entbindungskunst, zu Göttingen, mitgetheilt vom Prof. Osiander. Göttingen 1798. 4. p. 10.

[2]) *F. B. Osiander*, compend. laud. pag. 407. vid. not.

Non raro autem vitia uteri localia, fluxus mensium suppressus, hydrops, polypus, scirrhus aliusve tumor etc. talem foeminarum se gerendi rationem proferunt, vel in primis sic dictis viis causa quaerenda est, unde, quam caute medicus agere debeat, facillime elucet.

Pica et malacia porro observationes memoratu dignissimas nobis suppeditant. Gravidae praecipue cupidae sunt vel rerum acidarum, vel absorbentium, vel acrium. Cujus cupidinis causa certe in ventriculo quaerenda est. Aliae enim gravidae plethora nimia ventriculi laborant, ad succum gastricum inde nimis acidum demulcendum absorbentia exoptant, aliae non tanta sanguinis abundantia fruentes, quarum sanguis majore vi ad uterum protruditur, ad succum gastricum acidiorem reddendum acida praecipue cupiunt.

Praeterea aliae adhuc observantur picae, quarum vix detegi potest causa, nisi respicis ad animum muliebrem mirum in modum mutabilem, et ad mirabilia quaeque pronum. His adnumeranda sunt ea, quae de Philippi IV. Hispaniae regis uxore referuntur [1]), et alia hujuscemodi a cupidinibus mirificis exorta.

Haud raro observamus cupidinem, clam aliquid subducendi, aliasque res agendi vetitas — rem juris consultis quoque maximi momenti [2]).

At morbi quoque in promptu sunt, quibus correptae foeminae puellaeque pica et malacia vexan-

---

1) *F. B. Osiander*, l. c. pag. 414.

2) Hoffbauer, Gelüste der Schwangern und ihren Einfluß auf die rechtliche Zurechnung, in Kleinschrod, Konopack und Mittelmeier neuem Archiv des Kriminalrechts. Bd. 1. St. 4. 1817. S. 602.

tur, prae omnibus in chlorosi, hysteria, aliisque; propterea neque huic signo plane confidere possumus.

§. 17.

Systema uropoëticum, quatenus urinam se- et excernit, graviter quoque saepe graviditate afficitur. In universum urinae secretioni mutatae hoc loco non multum tribuendum est, nam et in morbis diversissimis haece observationes nobis occurrunt. Urinae excretio saepius tali modo impeditur, eique magis confidendum est.

Gravidae modo ischuria, modo incontinentia urinae laborant; ischuria, si uterus gravidus vesicae collum, incontinentia autem, si ejus fundum comprimit. Nimia urina impleta vesica tumorem format circumscriptum, plerumque dolentem, sub impressione manus mingendi conatus observantur, statu corporis erecto dolores augentur, tumor praeterea est — initio praecipue — adhuc mollis, et ubi satis mature catheterem immittis, tumor collabitur. Si autem haecce conditio negligitur, dolores ingravescunt, ad renes usque et regiones lumbales se extendunt. Accedunt dein symptomata consensualia: alvi obstructio, dolores colici, anxietas, animi deliquia, artuum tremor, convulsiones, et non raro cystitis.

Incontinentia urinae praecipue gravidae ultimis graviditatis mensibus laborant, si ab utero turgescente et capite foetali vesicae fundus comprimitur, hocce in casu gravidae quidem non excruciantur a doloribus, attamen nihilosecius res est molestissima. Ineunte graviditate foeminae non raro stranguria laborant, quae spastica affectione e novo et inconsueto coïtus stimulo nititur.

Signa ex urinae se- et excretione petenda non multum valent, nam etiam graviditatis plane expertes hisce affectionibus interdum laborant. Berolini foemina incontinentia urinae laborans curae meae tradita a me explorata est, inveni anteversionem uteri, eamque certam incontinentiae ejus habui causam. Secundum regulas ab E. de Siebold [1]) prolatas aegrotae spongiam cylindriacae formae marinam in vaginam immisi, et postquam, spongia plures per hebdomades lata, uterus justum locum denuo quaesiverat, a malo illo molestissimo liberata est.

§. 18.

Ab antiquissimis inde temporibus ventri amplificato magna fides tributa est, num hoc semper jure factum sit, nec ne, ex sequentibus intelligemus. Uterus impraegnatus fructu in illo habitante magis magisque extenditur, et sic venter quoque amplificatur.

Primo graviditatis tempore haecce ventris intumescentia non observatur, nam ad tertium usque graviditatis mensem uterus in pelvi minori magis absconditur, et abdomen magis inde complanatur, ita ut haecce complanatio jam proverbio [2]) Gallico ansam dederit. Ex hocce uteri descensu per se sequitur, portionem vaginalem facillime comprehendendam esse. Mense tertio abdomen increscit, quarto jam ita auctum est incrementum ejus, ut a tergo possis graviditatem videre, mense quinto fundus uteri umbilicum inter et symphysin ossium pubis percipitur, sexto mense ad umbilicum fundus pervenit, septimo duos vel tres pollices eum supe-

[1]) Frauenzimmer-Krankheiten. Th. 1. S. 558.

[2]) En ventre plat
Enfant il a.

rat, octavo fundus mediam umbilicum inter et scrobiculum cordis tenet regionem, fovea umbilicalis minuta, caput foetale hoc tempore jam saepe per vaginam sentitur, nono demum mense scrobiculum cordis ipsum attingit, fovea umbilicalis plane evanuit, quod symptoma obstetrices termino technico nominant: „verstrichen". Decimo tandem mense fundus uteri eandem tenet regionem, ubi mense octavo observabatur, umbilicus cono similis protruditur.

Hicce autem uteri descensus saepius jamjam ad errorem adduxit, nam praecipue si foemina pelvi nimis ampla gaudet, uterus non semper tam alte adscendit.

§. 19.

Mutationes ventris foeminei graviditatis tempore, praecipue si ordine antea prolato observantur, multum indicare possunt, attamen variis ex causis quoque non semper illam rationem sequuntur. Si situs infantis nascendi est praeternaturalis, id est irregularis, si adsunt gemelli, nimia liquoris amnii copia, pelvis vel nimis angusta, vel male conformata, tum aliter tota res se habebit, et vix a medico certum partus tempus praesagiri poterit. Dignitatis eo majoris haecce signa ad ventris incrementum spectantia habere possumus, si mutationibus portionis vaginalis, ejusque orificii respondent.

§. 20.

Ad dijudicandam hancce rem adspectus solus, sicuti jam Roederer suadet, non sufficit, tactu nobis quam maxime opus est, non solum ad mutationes portionis vaginalis, orificiique uteri inveniendas etc., sed etiam ad partes foetales percipiendas, variumque ventris tegumentorum statum cognoscendum. Curandum propterea est, ut foemina urinam et al-

vum deponat, jejuna supina cubet, lumbis depressis, capite pedibusque elevatis, calcibus ad nates retractis, ita ut abdominis regio laxetur. Tunc medicus abdomini palmam imponat transversam, auricularem digitum versus os pubis tendat, pollicem exadversum ad umbilicum. Valida respiratione foemina abdomen concutiat, atque medicus sub ipso exspirationis nisu idem leniter imprimat. Huic explorandi rationi Wrisberg [1]) aliam encheiresin addit: genas et totam faciem nudo abdomini applicavit. Non solum enim tali modo minimas embryonis resistentias motumque dijudicare potuit, sed etiam ex diverso caloris gradu hydropicum tumorem a graviditate distinxit.

§. 21.

Ars bene explorandi res est medico obstetricio quam maxime necessaria, a viris doctis fere omnibus, qui de arte obstetricia mulierumque morbis scripserunt, leges hic pertinentes latae sunt, in eo omnes consenserunt, si unquam — hic exercitationem matrem esse studiorum. De regulis, quibus in explorando medicus uti debet, plura invenies praecipue apud de Siebold [2]), Osiander, de Froriep, Rousset, Schmitt, Carum etc., viros de arte obstetricia meritissimos.

---

[1]) Vide *Roederer*, libr. cit. pag. 69. in nota.

[2]) Lehrbuch der praktischen Entbindungskunde. Nürnberg 1821. Th. 2. Cap. 1. S. 3. ꝛc. — F. B. Osiander, Handbuch der Entbindungskunst. Tübingen 1819. Cap. XIV. S. 456. sq. — von Froriep, Handbuch der Geburtshülfe. Weimar 1822. 2. Th. §. 321. sq. — *P. Rousset*, des avantages du toucher dans l'éxercice de l'art des accouchements. Paris 1803. — Schmitt, Sammlung zweifelhafter Schwangerschaftsfälle. Wien. — C. G. Carus, Lehrbuch der Gynäkologie ꝛc. Leipzig 1820. 1. Th. S. 65.

§. 22.

Mutationes uteri, in diagnoscenda graviditate praecipue medicum ducentes, exploratione observamus. Uterus infantilis cylindriacus, tempore, quo virgines menstruatione purgantur triangularem induit formam, graviditate durante ovalem, et post partum pyriformis redditur. In parte colli uteri inferiore invenimus duo labia, labium anterius et posterius, quae inter se rimam transversalem, vulgo os tincae nominatam formant. Collum uteri s. portio vaginalis per graviditatem magis magisque consumitur ad uteri ambitum augendum, et tali modo ex portione vaginali consumta, rimaque illa mutata varia graviditatis signa desumere licet. Impraegnatione facta os uteri claudi jam Hippocrates [1]) observavit. Mutationem rimae transversalis in formam rotundam G. W. Stein [2]) primus certissimum graviditatis signum protulit.

Attamen jam Loderus [3]) in programmate demonstravit, huic signo non confidendum esse. In cadaveribus enim, non solum non gravidis, verum

---

[1]) Sect. V. aphor. 51. „quae in utero gerunt, harum os uteri clausum est".

[2]) Theoretische Anleitung zur Geburtshülfe. Marburg 1797. §. 178. S. 58. „Aber die Verwandlung des Querspaltes des Muttermundes in eine zirkelrunde Form ist von der wirklichen Schwangerschaft das zuverlässigste Kennzeichen unter allen. Man kann es sehr frühe haben, und findet nicht daß es schon Jemand bemerkt hätte. Es gilt dieß Kennzeichen nicht nur von Erstgeschwängerten, sondern es hört auch bei künftigen Schwangerschaften nicht auf, sich ferner zu zeigen, obwohl bei diesen später, und nicht allerdings auf eine so vollkommene Art.

[3]) *Loder,* programma quo probatur ex anatomicis observationibus circularem aperturae orificii uterini formam certum ineuntis graviditatis signum non esse 1785. 4.

etiam virgineis, invenit rotundam orificii formam. In puellis menstruationis tempore haud raro illa mutatio adest, et morbis quoque forma mutari potest, praecipue uteri polypo et hysteria [1]). Si foeminae jam partum ediderunt, praesertim post partum laboriosum, vix illa mutatio observari poterit, et orificium uteri perruptum saepe per totam graviditatem non clauditur. Praeterea haec mutatio eodem modo se habet quam uteri descensus tempore ineuntis graviditatis, quae Wrisbergius in adnotationibus ad Roederi artis obstetriciae elementa suadet, lubentissime hic quoque dixerim: „hac in re procedendum est prouti in pulsu, non possumus omnium hominum pulsum naturalem ante invadentem morbum explorare, media itaque proportione contenti esse debemus."

Inde elucet neque hisce genitalium ventrisque mutationibus solis ubique confidendum esse, nam aliis quoque ex causis venter intumescere et portio vaginalis rimaque ejus mutari possunt, uti in hydrope saccato [2]), hydrometra, physometra, retentione mensium et urinae, et in helminthiasi quoque ventris ambitus interdum mirum in modum auctus est [3]).

Non satis caute medicus hic agere potest, ne honestarum virginum foeminarumque famam maculet! — E contrario quoque non raro conditiones

---

[1]) *E v. Siebold*, in diss. laudata pag. 59. in nota.

[2]) *C. G. Heidrich* (commilitonis carissimi) dissert. sistens casum memorabilem ascitae et destructionis ovariorum. Berolini 1825.

[3]) Hufeland's Journal 1821. St. 4. S. 108. — *Kochler*, in dissert. laudat. pag. 30, 33. — F. B. Osiander, Lehrbuch der Entbindungskunst. S. 434. —

graviditatem simulantes finguntur — res eadem attentione digna ne decipiatur [1]).

§. 23.

Motus foetus in utero inclusi vulgo signum graviditatis certissimum habetur. Media in graviditate motus illi in regula primum sentiuntur, attamen vix intelligi potest, cur graviditatis hebdomade XX. — XXII. potissimum foetus tali modo praesentiam suam indicare deberet. Saepe propter nimiam liquoris amnii copiam, foetus debilitatem, matrisque sensibilitatem minutam fere nulli observantur motus, aliis in casibus praecipue primiparae serius eos sentiunt. Non enim solum foeminae hystericae imo steriles, quae egregia liberorum habendorum cupiditate flagrant, motum sensisse dictitant, verum etiam mulieres, quae jam pepererunt, talimodo se aliosque fallunt. Observationem hic pertinentem memoratu dignissimam nobis tradidit Illustr. Osiander [2]). Saepius adhuc a puellis immaritis commodi inde quaerendi causa motus finguntur, omni pudicitia abjecta motum sensisse contendunt, et haud raro tali modo medicos quoque, imo practicos fefellere. Conferatur hoc loco historia, quam ego paulo infra attuli de Fr. B. puella.

§. 24.

Majoris ponderis hice motus censendi sunt, si a medici explorantis manu sentiuntur, attamen hoc quoque in casu cautus esse debet. E. de Sieboldio, praeceptori aestumatissimo, sequentem hujus rei indagandae debeo methodum. Jaceat foemina jejuna,

---

1) *Schimper*, diss. de signis graviditatis. §. 30. Pag. 22.

2) Lehrbuch der Entbindungskunst. S. 424.

postquam antea sese ab urina atque faecibus alvinis liberavit, supina, imponat medicus denudato hujus mulieris abdomini manum extensam ea ratione, ut pollex manus umbilicum, digitus vero auricularis symphysin ossium pubis contingat, commendet dein, ut mulier inspiret ac rursus exspiret, premat abdomen introrsum, tunc persentiscet non solum duritiem quandam rotundam, sed et simul foetus motum, qui erit eo manifestior, quo frigidior manus extensa imposita fuit, quo plures menses graviditatis fuere emensi, quo robustior foetus, et quo minor aquae copia, circumdantis.

§. 25.

Non praeterire possum mirum adhuc phaenomenon. Haud raro graviditate morbi nonnulli, si non plane sanantur, tamen saltem retardantur. Quemnam medicum practicum fugit, epilepsiam, choream St. Viti, hysteriam, auditum difficilem, ophthalmias, maniam, melancholiam, exanthemata varia, chlorosin, phthisin, febres intermittentes aliosque morbos talimodo vel mitigatos, vel plane sanatos esse. Non difficile haecce morborum mitigatio sanatioque a nova uteri vita deducendae essent, sicuti febres praecipue intermittentes saepe morbos chronicos sanant; omnibus vitae periodis, ubi novae corporis evolutiones, ut ita dicam, observantur, morbi chronici non raro tolluntur verbi gratia menstruatione prima etc. Saepius organismi foeminei conditiones observamus, ubi fere nihil magis exoptandum esset, quam graviditas; attamen partim, licet sint in matrimonium ductae, non concipiunt, partim aliis ex causis conceptio — quam cogitandi ratio nostra

non

non probare potest — non provocanda est. Jam Hippocrates [1]) hacce conditione suadet connubium.

Licet jam in universum foeminae majora perferre possunt quam viri, tamen graviditatis tempore haecce calamitatum tolerandarum facultas, omnem fere excedit modum. Observationem hic pertinentem horrendam Illustr. Osiander [2]) nobis narravit.

§. 26.

Prolata sunt praecipua graviditatis signa, nullum per se certam reddit graviditatis diagnosin, tantummodo collectio eorum aliquid valet, et ad probabilitatem nos adducit.

Moveant alii risum, se jactent melius se et certius rem intelligere, se semper et ubique scire, num foemina gravida sit nec ne — nos contenti probabilitate nostra, securiores erimus in tractandis foeminarum morbis, neque auctoritatem fidemque nostram perdemus.

PARS III.

RELIQUUM ADHUC EST, UT CASUS NONNULLOS, QUOS IPSE OBSERVAVI, EXPONAM.

§. 27.

Friderica B., puella XVIII annorum, die XXV. mensis Novembris anno MDCCCIII. a disciplinae

---

1) De victus ratione. Lib. II. Cap. 10.

2) F. B. Osiander, Handbuch der Entbindungskunst. Th. 1. S. 369. §. 458.

publicae inspectore ad nosodochium Lucinae sacrum adducta erat, quia, ut a servae officiis dimitteretur, se gravidam esse dictitaverat.

E. de Siebold, praeceptor humanissimus, explorationem hujusce puellae mihi tradidit, et dein sententiam meam de statu ejus postulavit.

F. B. infantili aetate semper bene valuit, anno aetatis XVI. doloribus in regione ossis sacri praeviis, primus catameniorum fluxus apparuit, qui III per dies durans, quaternis semper hebdomadibus praeterlapsis rediit.

Inde a mense Junio hujus anni (1823.) periodus illa cessit, mammae, sicuti dicit, inde ab eo tempore magis turgent sicuti etiam venter, nausea ciborum e carne paratorum laborat et vomituritionibus, quaternis hebdomadibus tres per dies doloribus capitis vexatur, pedes oedema paululum tenet. Motus foetales sentire credit praecipue supina cubans, excretio alvina regularis, et facies bono exornata est colore.

Mense Julio, et die III. mens. August. coïtum exercuisse concedit.

Ubi haec audiveram, ad explorationem obstetriciam transii. Inveni in explorando externe: mammas pro aetate vix satis efformatas, areolam et papillam uno eodemque colore, umbilicum foveam non formantem, ventrem intumescentem, fracidum, duritiem lapideam sic dictam nullam, partes foetales nullas; interne: frenulum ac perinaeum integra, hymen nullum, introïtum vaginae et hanc ipsam angustam, portionem vaginalem mediam et

inferiorem inter aperturam, laxam, mollem, orificium rimae transversalis prae se tulit formam, labium anterius et posterius ejusdem longitudinis.

Dein puellae in thoro cubanti mandavi, calces natibus appropinquare, et ad tegumenta ventris relaxanda exspirare; dein digitum dextrae manus in vaginam induxi, sinistram manum infimo ventri supra arcum ossium pubis imposui; et tali modo uterum vacuum, digitumque meum in vagina inveni.

Omnibus hisce ex causis puellam non gravidam esse censui, et de Siebold mecum consensit. Ad laborem igitur adhortati sumus puellam et dimisimus. —

Sex circiter menses postea hancce puellam in via quadam publica inveni, et de valetudine a me interrogata respondit: se bene valere, fluxumque menstruum rediisse.

Medici hujus Urbis quidam huicce puellae testimonia, quibus graviditatem ejus testari voluerunt, porrexerant; de Sieboldii praeceptoris jussu publici juris feci, et ne verbum quidem mutavi.

Die Friederike B., aus Berlin gebürtig, ist nach dem Resultate der Untersuchung, so wie auch nach der von ihr wahr genommenen Veränderung von der Empfängniß an, gegenwärtig 6 Monate schwanger, welches ich hiermit bescheinige.

Berlin, den 11. September 1823.

N.

Daß Friederike B., im sechsten Monate schwanger ist, bescheinige ich hiermit glaubhaft auf Verlangen. Berlin, den 27. September 1823.

(L. S.) N. N.
der Medizin und Chirurgie Dr. und Geburtshelfer.

§. 28.

Friederica J., vidua XXVI annorum, tempore infantili, exceptis rubeolis, nullo laboravit morbo. Anno aetatis XIII. primum mensium fluxu purgata est, menses VIII per dies fluentes quaternis semper hebdomadibus praeterlapsis redire solebant.

Annos XVIII nata in matrimonium ducta concepit et usque ad V. graviditatis mensem valuit, dein autem dolorem in infimo ventre sensit, febriculis saepiusque haemorrhagiis e vagina correpta est. Quam conditionem partus difficilis quidem, attamen non perniciosus, secutus est, filiolum jamjam mortuum obstetrix, medico eam adjuvante, extraxit.

In puerperio nimis debilis erat, mox cachexia hydropica aegrotam invasit, vix anno inde a partus tempore praeterlapso aegrota nostra in dies magis tabescere incepit. Fluxus menstrualis nondum redierat, ventrisque intumescentia praecipue eo tempore, quo catamenia exspectabantur, exacerbavit.

Ante hos V annos Berolinum, hanc excellentissimorum medicorum sedem adiit, et charitatis nosodochii auxilium imploravit. Per annum fere ibi inter aegrotas habebatur remediis ad reducendam sanitatem frustra aptissimis adhibitis, partim

quia aegrotantium numerus nimius erat, partim quia morbus paululum remiserat, e nosodochio dimissa est.

Ubi per nonnullos menses charitati valedixerat, morbus rediit, consuluit propterea Moldenhauerum, doctorem hujus Urbis practicum, et dein Cel. Wagnerum professorem, ab hocce pilulas ex asa foetida et species pro thea accepit, attamen frustra, haud multo post ictero correpta est, qui purgantibus remediis adhibitis abiit.

Hoc tempore cum Wagnero professore aestumatissimo verba feci de aegrotae conditione, et tandem tradidit mihi explorationem obstetriciam; quam eo libentius perfeci, quia hancce viduam omnino honestam videntium quivis gravidam habuit, quod ipsi summo erat dolori.

Inveni ventrem valde intumescentem, attamen mollem, duritiei sic dictae lapideae vestigium nullum, in regione epigastrica aegrota sub manus impressione dolorem sensit. Mammae non nimis turgentes, neque serum neque lac edebant. Vagina erat mucosa, valde rugosa, conditione in universum magis virginea, portio vaginalis pollicis fere magnitudine in sinistro latere ad ramum ossis pubis horizontalem adpressa, fundus uteri in dextro latere locum tenuit.

Propterea non gravidam habuimus, immisimus in vaginam ad positionem uteri emendandam spongiam marinam, dedimus saepissime balnea tepida, applicavimus ad labia pudenda hirudines medicinales, porreximus hebdomadibus quaternis prae-

terlapsis emetica, et summo revera nobis gaudio! remediis hisce per VI circiter menses strenue adhibitis, aegrota magis magisque reconvaluit, ita ut nunc excellentissime se habeat.

§. 29.

Carolina V. anno aetatis XV. jam piscatori nupsit, eique intra spatium X annorum VI edidit liberos. Licet partus omnes difficilioribus adnumerandi erant, tamen mater omnes liberos ipsa lactabatur, nunquam lacte carens lactationis tempore optime se habuit.

Ante hos IV. menses lactationi finem fecit, et inde ab eo tempore valetudine affecta est adversa. Menstruatio non rediit, attamen diarrhoea fere semper, non raro syncope laboravit, immo conatum vomendi accusavit, quapropter Loewes, medicinae doctor, ipsi dedit emeticum. Inde ab eo tempore leucorrhoea laboravit, postea sanguinem ex intestino recto perdidit, diarrhoea autem nondum intermittit, imo venter increscit, ita ut obstetrix scilicet quaedam eam gravidam esse censeat.

Ut de corporis statu certior fiat, ad institutum Regium Lucinae sacrum, de Siebold directore dignissimo florens, se contulit, et examine praevio lege artis obstetriciae explorata est.

Invenimus orificium uteri externum paululum apertum, ita ut digiti apicem immittere possimus, media in pelvis minoris apertura, mammas non turgescentes, flaccidas, neque lac, neque serum edentes, portionem vaginalem ad pollicem dimidium ab-

breviatam, duritiem sic dictam lapideam nullam, ventrem rugosum et mollem, umbilicum non prominentem.

Non gravidam censuimus, sed aegrotam, credidimus naturam optimam medicatricem menstruationem sustulisse, ne diarrhoea saepia et menstruatione profusa nimis debilitetur.

Diarrhoeam habuimus coërcendam, totum corpus roborandum et ita menstruationem reducendam. Optimus eventus consilia nostra secutus est, mulier hoc tempore optima gaudet valetudine.

VITAE CURRICULUM

EX DECRETO

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS ADJECTUM.

Ego, Carolus Gustavus Adolphus Muehlmann, natus sum Zuellichaviae, oppido in Neomarchia haud procul a Viadro sito, die X. mensis Maji anno MDCCC., a Carolo Ludovico Muehlmann, oppidi illius pharmacopola, patre carissimo, et e Beata Carolina matre e gente Burdachia. Puero mihi, vix sex annos nato, mater dilecta, eheu! praematura erepta est morte.

Elementa literarum, quibus puerilis aetas imbui solet, in schola Zuellichaviense, quam realem dicunt, me docuerunt, dein in gymnasii, Steinbarthio direc-

tore aestumatissimo, ordinis Regii aquilae rubrae equite, florentis discipulorum numerum receptus, ad XX usque aetatis annum ibi moratus sum. Reminisci non possum temporis scholastici feliciter peracti, quin omnibus praeceptoribus summas agam gratias; semper Vos, Lobachie, Nicolai, Professores, eheu! jam beatos, et Te O. M. Muellerum, philosophiae doctorem, artium liberalium magistrum, gymnasiique nunc Regii Coeslinensis directorem dignissimum, nec non Vos, Thienemanne, Koernere, Professores carissimos pia mente colam.

Anno hujus saeculi XX, examine feliciter superato, testimonioque ad academica studia maturitatis exornatus Halam me contuli ad medicinae studium et Illustr. Grubero t. t. prorectore magnifico civium academicorum numero adscriptus sum. Regis nostri clementissimi jussui ut satisfaciam, statim alteri venatorum cohorti, Halae collocatae, nomen dedi, et in armis gerendis exercitus sum.

Docuerunt me in hac Musarum sede: Illustr. Sprengel rem herbariam, Illustr. Maass Logicen, Illustr. Meckel, quae pertinent ad anatomiam, Illustr. Schweigger: physicen experimentalem et chemiam, Illustr. Schreger: chemiam forensem et diaeteticen, Illustr. Dzondi: encyclopaediam medicam morbosque oculorum, Illustr. Weinhold: chirurgiam, morbos oculorum, nec

non exercuit me in operationibus instituendis, Cel. Friedlaender: pharmacologiam et toxicologiam.

Anno MDCCCXXII., Hala relicta, Goettingam ad Georgiam Augustam migravi, et Illustr. Bergmann t. t. prorector magnificus me recepit. Audivi hic Perillustr Blumenbachium de physiologia et historia naturali, Illustr. Himly: de pathologia generali, de materia medica, de therapia generali, de nosologia speciali et de therapia speciali, Illustr. Osiander de arte obstetricia tam theoretica quam practica, et quum collegiis ejus theoreticis interfuissem, auctoritate ejus plures gravidas a foetu liberavi. Anno hujus saeculi XXIII. in patriam redux Berolinum hanc almam Musarum sedem adii, et Illustr. de Raumer t. t. fasces academicas tenens academica me donavit civitate; et Illustr. Link t. t. Decanus facultatis medicae quam maxime spectabilis, medicinae studiosis me adscripsit. Audivi hic Illustr. de Siebold: de arte obstetricia tam theoretica quam practica, Illustr. Horn de morbis mentis, Cel. Wagnerum de medicina forensi, Illustr. Berends ad aegrotorum lectulos me adduxit, et Illustr. de Siebold in tractandis foeminarum virginumque morbis me exercuit.

Felici sorte eo tempore Cel. Wagnero ex Anglia reduci notus factus sum, et ab eodem permagnum aegrotantium mumerum videndi humanissime oblata mihi est occasio. Pro benevolentia, qua Cel. Wagnerus

excellentissimam permultos tractandi aegrotos mihi suppeditavit occasionem, semper pio colam animo.

Tentaminibus examineque rigoroso superatis, spero, fore, ut Illustrissima Facultas Medica, dissertatione publice defensa, summos in utraque medicina honores benevole in me conferat.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Magna ex morbillis arte insertis commoda emanare credo.

II.

Viri a foeminis in morbis tolerantia superantur.

III.

Synchondrotomia plane rejicienda.

IV.

Ea est optima forceps dexterrima, quam dirigit manus.

V.

Fractura cranii simplex trepanationem non semper postulat.

VI.

Viri praestantissimi obstetrices.